



**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1541. usque ad annum 1546

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1770**

**VD18 90118510**

§. 64. Venia Valdensibus a Rege data, sub adjecta tamen errores suos  
ejurandi lege.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66615](#)

Sæcul. XVI.  
A.C. 1545

§. LXIV.

*Varia Valdensibus a Rege data, sub  
adjecta tamen errores suos eju-  
randi lege.*

*Maimb. hist.* **C**um hæc Episcopi verba ad Regem  
*du Calv. t. I.* deferrentur, mox ipse ad Aquensem  
*I. 2. p. 123. &* Senatum Diploma dedit decima octava  
**124.** Februarii anno millesimo quingentesimo  
quadragesimo primo expeditum, vi  
cujus Rex his Valdensibus veniam con-  
cessit, si tamen intra trimestre errores  
suos ejurare vellent: Ut autem illi, qui  
hac Regis gratia frui cupiunt, eo faci-  
lius a ceteris dignoscerentur, hinc ei-  
dem Senatui in mandatis datum, ut  
quosdam hujus gentis Deputatos, qui  
ceterorum nomine palam hæresin suam  
damnarent, Aquas venire juberet, si ve-  
ro nonnulli morem gerere renuerent, in  
hos legum severitate animadverteret,  
atque ad hujus sententiæ executionem  
omnes hujus Provinciæ Ministri ac mi-  
lites Aquensi Curiæ auxilia præberent.  
Hoc edictum die octava Februarii pro-  
mulgatum fuit, & postquam illius au-  
toritas ab ipso Senatu comprobata fue-  
rat, mox Franciscus Chajus & Guiliel-  
mus Armandus a Merindolanis deputa-  
ti Aquas contenderunt, nec non libel-  
lum supplicem Senatui porrexerunt,  
hæc

hæc exponentes: „Æquitati haud con- Sæcul. XVI.  
 „gruit, quod, priusquam hærefoes con- A.C. 1545.  
 „vincamur, tanquam hæretici procla-  
 „memur, atque indicta cauſſa damne-  
 „mur, quo circa rogamus, ut cauſſa no-  
 „stra ad novam diſcussionem revocetur,  
 „nec non Theologi congregentur, qui  
 „de doctrinæ nostræ articulis confe-  
 „rant. Adhæc Chaffaneus supremus  
 Consilii Præſes, cum Allensi amici sui  
 monita maturius perpenderet, Depu-  
 tatos privatim coram regiis Ministris  
 convenit, eosque hortatus est, ut ejuratis  
 erroribus suis constitutos Judices intem-  
 pestiva hac obstinatione non eo adige-  
 rent, ut pœnis, ipſorum exſpectatione ſe-  
 verioribus illos caſtigare compellantur:  
 aſt cum probe intelligeret, quod de er-  
 rore convinci pertinaciter peterent,  
 hinc tandem illos eo induxit, ut ſectæ  
 ſuæ articulos ad Regem transmittendos  
 Senatui traderent.

## §. LXV.

*Fidei professio a Cabrierensibus ad  
Regem transmifſa.*

**C**um autem Cabrierenses incolæ in  
 Viscantino Comitatu ſeſe ab Ave-  
 nionensi Vice-Legato invafos cernerent,  
 parique cum ceteris fato exponi per-  
 mifcerent, hinc ſuam quoque fidei pro-  
 fessionem a Lutherana haud abſimilem

T 2

con-